

ter Deo negare videatur. Dico vero utramque justitiam in hoc opere suum locum habere, et utramque habere locum in Deo, remotis imperfectionibus, quamvis fortasse necessarium non sit eas in Deo distinguere tanquam duas virtutes, vel duo attributa ratione distincta, sed unam eminenter continentem quidquid est perfectionis in justitia commutativa et distributiva, quæ in hominibus distinctæ virtutes esse supponuntur. Neque hæc eminentia excludit formalitatem perfectionis utriusque virtutis in Deo, sed denotat altiore, et simpliciore modum illius formalitatis. Sicut in Deo una est virtus intellectualis, qua prima principia, et conclusiones in ipsis intuetur, eminenter continens perfectiones habituum principiorum, et scientiæ, quæ in nobis distinctæ virtutes sunt, et nihilominus Deus formaliter in se habet scientiam principiorum et conclusionum, abstrahendo in nomine scientiæ ab imperfectionibus cognoscendi per discursum, vel sine illo, per medium, vel sine medio. Sic ergo dicimus, in Deo esse justitiam commutativam, et distributivam formaliter, etiamsi inter se non formaliter vel ratione distinguantur, tanquam duo distincta attributa, sed sint unum attributum justitiæ, illam utramque rationem simplicissime et eminentissime comprehendens, a qua retributio meritorum de condigno procedat.

29. *Pro assertione proxima suadenda.* — Ut autem hanc resolutionem declaremus, suppono duobus modis posse in nobis distinguere justitiam commutativam et distributivam. Nam cum convenienter in communi et essentiali ratione justitiæ, et ideo utraque sit ad alterum, et jus alterius respiciat, illudque reddat, vel inviolatum servet cum æqualitate, distinguere possunt primo in motivo æqualitatis, quam in reddendo debito observant. Quia justitia commutativa servat æqualitatem rei ad rem, quam arithmetice vocavit Aristoteles, 5 Ethic., c. 4. Distributiva vero constituit æqualitatem geometricam, seu proportionalem inter plures, qualis observatur in distributione honorum communium, inter partes reipublicæ, dando unicuique juxta gradum suum. Secundo, possunt distinguere hæc virtutes ex diverso jure, quod in altero respiciunt, ut illud non violent, sed expleant aut reddant. Nam, ut ait D. Thomas 2. 2, q. 61, art. 1, ad 5: *Justitia commutativa et distributiva non solum distinguuntur secundum unum et multa, sed secundum diversam debiti*

*rationem. Aliter enim debetur alicui id quod est commune, et aliter id quod est proprium.* Igitur justitia commutativa respicit jus proprietatis, seu dominii, vel quod illi æquivalet, quia licet non possideatur, moraliter in bonis propriis computatur, juxta l. *Meorum*, et l. *Id apud*, 143, ff. de Verbor. signific. Sicut e contrario, quæ ex justitia distributiva debentur, moraliter non computantur in bonis, argumento l. *Venisse*, eodem tit., et l. *Quod evincitur*, 151, ff. de Regul. jur. At vero distributiva respicit quidem jus etiam proprium alterius, non tamen ita rigorosum, sicut est aliud ad commutativam pertinens, quia neque est jus in re, seu dominium ejus, nec moraliter illi æquivalens, sed est jus ad rem, fundatum in dignitate, vel conditione, ut est membrum reipublicæ, vel communitatis, cujus bona inter ejus membra hanc vel illam conditionem habentia distribuenda sunt, ut in dicta disput., sect. 3, late declaravi. Ubi etiam dixi hunc posterioriorem modum distinguendi has virtutes esse maxime formalem et essentialem, utpote sumptum ex proprio objecto justitiæ, quod est jus; priorem vero modum esse sumptum ex modo, qui ordinarie, et quasi ex vi talium juri in reddendis eorum debitis observatur.

30. *Probatur ultima assertio quoad justitiam commutativam de æquitate rei ad rem.* — Hoc ergo supposito, dicimus in remunerandis meritis de condigno, primo ac per se inveniri rationem et formam commutativæ justitiæ, tum in servanda æqualitate rei ad rem, tum in reddendo jure proprio, et æquivalenti dominio ac proprietati. Prior pars expresse asseritur a D. Thoma 2. 2, q. 61, art. 4, ad 1. Et probatur, quia forma commutativæ justitiæ est, ut unicuique tantum pro tanto reddatur, seu ut quantum habet juris et actionis, tantum illi tribuatur; sed hoc maxime servat Deus in retribuendo, quia tantum præmium judicat unicuique tribuendum, quantum suis meritis proportionatum et æquivalens sit, juxta illud Matth. 16, et Rom. 2: *Reddet unicuique secundum opera ejus*; 1 ad Corinth. 3: *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*, et similia sæpe citata. Altera pars probatur, quia jus acquisitum ad præmium per proprios labores et opera proportionata, et in suo ordine æqualia præmio, et fundata in pacto et conventionem: *Dabo si feceris*, est jus proprium, quod moraliter æquivalet possessioni, seu juri in re; ergo in redditione talis juris etiam servatur ex hac

parte forma, vel etiam substantia commutativæ justitiæ. Et hoc confirmant verba illa Matth. 10: *Tolle quod tuum est, et vade.* Item vim habent illi modi loquendi Christi Domini: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Ubi pondero, dici, esse illorum propter efficaciam meriti, et juris per illud acquisiti, de quo infra dicitur: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Item illud Pauli: *Certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem justus judex*, 2 ad Tim. 4 ubi depositum suum appellat illam coronam justitiæ, quam c. 4 dicit sibi esse repositam in illum diem, quam propter jus justitiæ, quod in illam habebat, suam jam appellabat. Ex his ergo duobus capitibus ratio commutativæ justitiæ in hac meritorum retributione sufficienter explicatur.

31. *Probatur deinde quoad justitiam distributivam.* — Quod vero ad justitiam distributivam pertinet, non minus servatur in hac remuneratione æqualitatis proportionalitatis inter ipsos beatos, quam in unoquoque inter meritum ejus et præmium æqualitas servetur. Nam eo ipso quod unusquisque beatus recipit præmium suis meritis æquale, necessario fit ut quantum merita unius alterius merita excedunt, tanto illius præmium hujus præmium superet, quia quam proportionem servat meritum ut quatuor, verbi gratia, ad præmium ut quatuor, eandem servat meritum ut octo ad præmium ut octo, et sic de cæteris; ergo servatur in illo opere tota æqualitas distributivæ justitiæ. Et hanc etiam proportionem significant testimonia citata Scripturæ, in quibus dicitur Deus reddere unicuique secundum opera sua, Apocalyp. ult., et quod de malis dicitur Apocalyp. 18: *Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date illi tormentorum*, eadem ratione et proportione in præmiis reddendis servatur. Et ita in parabola talentorum, sicut qui lucratus est alia quinque, totidem civitatibus præfectus est, ita qui duo comparaverat, duarum civitatum regimen recepit; et, sicut dans justo eleemosynam in nomine justii, mercedem justii accipit, ita qui dat illam Prophetæ in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipit; servatur ergo ibi proportio inter plures, et consequenter etiam inter omnes.

32. *Evasioni satisfi.* — Dices illam proportionem non esse per se intentam, sed esse quasi necessario consequentem ad priorem

proportionem meriti ad præmium uniuscujusque. Respondeo verum quidem esse, primo et per se ad justitiam meritorum pertinere æqualitatem illam, quæ inter mercedem et laborem servatur, et ideo diximus hanc justitiam veluti substantialiter esse commutativam. Fatemur etiam, supposita multitudine præmiandorum, servata in unoquoque proportione præmii ad merita, necessario sequi alteram proportionem omnium inter se. Nam, ut aliqui Theologi docte adnotarunt, illa proportionalitas inter beatos non oritur ex insufficientia præmii, ut dividendum putetur cum proportione inter multos, quia singulis non sufficit ad æqualitatem, ut in distributionibus humanis sæpe contingit. Nam Deus infinitum habet thesaurum ad reddenda præmia, quia in infinitum potest gratiam et gloriam augere tam in multitudine quam in intensione, et ideo in infinitum posset reddere singulis æquale suis meritis præmium, etiamsi homines beati in sanctitate et numero plures et plures essent. Oritur ergo illa proportio ex ipsa rei natura, quia ex una æqualitate necessario resultat alia, supposita personarum multitudine et præmiorum varietate.

33. *De prima conditione hujus justitiæ.* — Nihilominus tamen hoc non obstat, quominus Deus per se etiam ac directe intendat hanc etiam proportionalem æqualitatem, quia in illa potest considerari pulchritudo et honestas, quam Deus in illo opere intendat. Eo vel maxime quod Deus per se intendit multitudinem beatorum, et varietatem illorum in tali numero, pondere et mensura; ergo etiam per se intendit pulchritudinem illam et æqualitatem, quæ in toto illo corpore mystico cælestis Jerusalem ex illa varietate et proportione consurgit. Quamvis autem hoc ita sit, nihilominus dico hanc intentionem pertinere ad justitiam providentialem, ut commune bonum universitatis respiciat, et ideo, ad illam æqualitatem etiam ex directa intentione constituendam, specialem justitiam distributivam necessariam non esse, sed intendi per legalem justitiam, et executioni mandari per commutativam quasi motam et directam a providentialem justitia. Quamquam ipsa etiam justitia commutativa possit per se velle illam proportionem, quatenus in ea, respectu totius exercitus cælestis, ut est unum corpus mysticum, quædam æqualitas rei ad rem invenitur. Sicut sanitas totius corporis una intentione, et per unam virtutem potest inten-



di, quamvis sanitas totius includat proportionem ad unumquodque membrum, et proportionalitatem omnium membrorum inter se.

34. *Tractatur de jure quale in tali justitia inveniri potest.* — Altera conditio justitiæ distributiæ, quæ (ut ego opinor) magis per se illam distinguit a commutativa, est specialis modus juris, quod in alio respicit et observat. Et quoad hanc etiam partem potest considerari aliquid justitiæ distributiæ in illa speciali justitia Dei, qua munera remunerat. Quia licet, supposito pacto, et conventionē ex parte Dei, justī per sua merita verum jus justitiæ ad præmium acquirant, nihilominus illud jus deficit ab illo jure justitiæ quod inter homines reperitur, quia fundatur in operibus quæ magis sunt ipsius Dei quam hominis merentis, nam Deus illa vult esse merita in nobis apud ipsum quæ sunt ipsius dona; et ita sunt dona ejus, ut semper sub ejus supremo domino maneant; nihil enim potest Deus a suo dominio abdicare. Unde etiam ipsa gloria, et quicquid juris homo habet ad illam, magis est sub Dei quam sub hominis dominio. Ex hac ergo parte jus illud ex parte hominis deficit a rigore justitiæ commutativæ, quæ inter homines intervenit; et consequenter dici potest participare aliquid de modo juris distributiæ justitiæ. Ac subinde divina justitia specialis eminenti modo distributiva erit, continens formaliter quicquid perfectionis est in ipsa, considerando in remuneratione personæ dignitatem, et jus quod in illa et meritis ejus fundatur, etiamsi vim etiam pacti et æqualitatis rei ad rem attendat, atque ita utriusque justitiæ rationem formali ac eminenti modo complectatur.

35. *Objectio contra traditam doctrinam de propria justitia meritorum.* — *Responsio.* — Ex quibus attente perpensis, facile, ut existimo, expediet unusquisque Theologus objectiones quæ contra hanc resolutionem factæ sunt, in quibus nihil fere additum invenio ad ea quæ in dicta disputatione de Justitia Dei pertractavimus. Semper enim magna vis in hoc fit, quod materia justitiæ non habet locum in Deo, quia est materialis, et tantum circa temporalia bona humana versatur, quæ sunt vel pecunia sub qua bona externa omnia pretio æstimabilia comprehenduntur, ut tradit Augustinus, lib. de Disciplin. Christian., capite sexto, vel honor, et fama, vel vita et salus corporis, ex Aristotele, § Ethicor., capite secund., et D. Thoma 2. 2, quæst. 58, art. 3, et 1 p., quæst. 21, art. 1. Respondetur Aris-

totelem locutum esse de justitia, prout illam communiter homines accipiunt, quatenus in humana et civili republica est in usu, et dici potest justitia humana. Ratio autem justitiæ secundum se spectatæ abstractior est, et potest versari in altiori et spirituali materia, ut de justitia etiam inter homines docuit D. Thomas 2. 2, quæst. 73, art. 2, ubi etiam generalem tradit regulam, quando spiritualia bona superant materialia, tanto majorem esse obligationem justitiæ, quæ circa spiritualia versatur. Eademque ratio est de commutativa justitia, quia potest quis obligari de justitia ad orandum, vel ad faciendum sacramentum, et in spiritualibus bonis, seclusa Ecclesiæ prohibitionē, potest esse commutatio unius pro alio, ut alibi dixi, et in illa sine dubio debet servari æqualitas, et pactum seu obligatio ex conventionē suscepta. Ergo ex parte materiæ non repugnat inveniri justitia in Deo ad retribuenda præmia. Ut omittam posse etiam Deum promittere temporale præmium pro labore proportionato, si velit. Adhiberi potest instantia ex D. Thoma 2. 2, quæst. 17, art. 2, ubi ait materiam liberalitatis esse pecuniam, seu temporalia bona, quæ homines inter se communicare possunt; et nihilominus 1 p., quæst. 21, art. 1, ad 1, dixit liberalitatem proprie tribui Deo circa actiones Deo convenientes.

36. *Secunda objectio.* — *Respondetur.* — Sed instant, quia nullus obligat ex justitia alterum, nisi aliquid faciat in ejus commodum et utilitatem. Homo autem nihil potest facere in Dei utilitatem, est enim servus inutilis, Luc. 17. Unde dicitur Job. 22: *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid confers, si immaculata fuerit vita tua?* et c. 35: *Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* ergo non potest obligare Deum de justitia. Major præterquam quod est Aristotelis, § Ethicor., c. 4, probatur, quia si unus alteri nihil tribuit, neque ab eo in bonis suis damnificatur, non est unde possit oriri obligatio justitiæ, præsertim commutativæ, neque in quo possit ejus æqualitas fundari, propter quod dicitur hæc justitia in datis et acceptis versari. Respondeo, concipiendo justitiam, etiam commutativam veram et propriam theologice, prout re vera concipienda est, abstrahendo a creata et increata, materiam ejus non limitari ad bona utilia, vel commoditatem humanam afferentia, sed extendi ad honorem, obsequium, cultum, et in universum ad actiones quæ alteri seu Deo placent.

Quod jam supra ostendi argumento ad hominem, nam ipsi dicunt ad gratitudinem sufficere opus gratum, licet non sit beneficium, nec utilitatem afferat; cur ergo non sufficiet ad justam retributionem, quantum est ex parte materiæ, etiamsi utilitatem vel commoditatem non afferat ei, in cujus gratiam fit, et secundum ejus voluntatem vel mandatum fit? Simile argumentum absolute sumere possumus ex materia promissionis. Nam certe inter homines materia promissionis obligantis semper est aliquid bonum utile ei cui fit promissio, et similiter in amicitia humana materia communicationis est aliquid utile, vel commodum alteri amico, et nihilominus promissio Deo facta propriissima est, et rigorosam obligationem inducit, quia est de re illi grata, esto utilis ei non sit; et similiter opera facta in gloriam, et beneplacitum Dei, sunt vere opera amicitiae, et communicationis bonorum, ex parte hominis ad veram amicitiam sufficientis; cur ergo non cum proportionē de divina justitia loquemur, ita ut non desit ex parte nostra sufficiens materia justitiæ ad Deum, si ex parte Dei possit intervenire justa compensatio?

37. *Progreditur data responsio.* — Ratio denique est, quia, licet nostra opera non sint Deo utilia, quatenus utile dicit medium ad aliquid bonum acquirendum, sunt nihilominus honorifica Deo, et reddunt illi obedientiam debitam, et supremi domini recognitionem, ac denique dignam de illo æstimationem indicant in operante, et in aliis generant. Unde, sicut honor et fama dicitur extrinsecum bonum, ita lato modo possunt hæc opera dici utilia ad Dei honorem et gloriam. Item quatenus placent Deo, dici possunt afferre Deo honestissimam voluptatem, saltem per modum objecti externi, in quo divina voluntas libere, simpliciter et connaturaliter, supposito tali objecto, complacet; et hæc etiam est quædam extrinseca commoditas (ut sic dicam), omni imperfectione semota. Potest etiam alius respectus in justorum operibus considerari, quatenus sunt utilia proximis, nam eo ipso dici sano modo possunt utilia Deo, non in se, sed in filiis suis et familia sua. Hæc ergo satis sunt ad veram materiam justitiæ apud Deum, sicut sunt sufficientia ad materiam pacti et conventionis cum ipso, et consequenter est sufficiens fundamentum, in quo possit æqualitas justitiæ fundari. Cum ergo dicitur justitia versari in datis et acceptis, cum proportionē accipiendum est; nam in

justitia humana habet sensum materiale quem verba præ se ferunt, respectu vero Dei sufficit obsequium illi exhibitum dictis modis; nam Scriptura ita loquitur, cum dicit ad Deum: *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Et in hoc sensu in aliis locis citatis dicimur nihil posse nos Deo tribuere, quia quicquid illi offerimus, ab ipso et ipso est; et nullam propriam utilitatem affert, licet ex parte nostra illi donetur eo modo, quo illi placet, quod satis est ut sit materia justitiæ. Unde D. Thomas 2. 2, quæst. 61, articulo primo, abstractius de justitia commutativa locutus est, dicens, *consistere in his, quæ mutuo sunt inter duas personas ad invicem*, et q. 63, art. 1, ad 3, generaliter dixit ad justitiam pertinere *dare alicui quod ei debetur*, utique debito legali et stricto; sic autem nos damus Deo opera nostra summo justitiæ et domini titulo illi debita; id ergo satis est, ut ut sint materia justitiæ.

38. *Tertia objectio tripliciter impugnat.* — Sed instant, tertio, quia esto in operibus justorum sit capacitas et dignitas justī præmii, ex parte Dei est incapacitas obligationis justitiæ propriæ ad illud reddendum. Probatur hoc primo, quia talis obligatio non potest provenire nisi ex aliqua lege justitiæ, cum tale debitum legale sit. Deus autem nullius legis est capax. Secundo, quia illa obligatio est diminutio quædam domini Dei ad faciendum de creatura quod voluerit, nam talis potestas quasi ligatur per illam obligationem, ut non possit Deus justis non dare tale præmium, aut eos in nihilum redigere, si voluerit. Tertio, quia repugnat aliquem obligari ex justitia ad communicandum alteri bona quæ a se alienare non potest, aut propter acceptionem eorum quæ sua sunt magis quam cujuscunque alterius: Deus autem est dominus gloriæ et omnium actionum quæ pro illa ipsi offerri possunt; ergo repugnat Deum obligari ex justitia ad illam hominibus communicandam.

39. *Dissolvitur.* — Ad objectionem respondeo, negando inveniri in Deo incapacitatem omnimodam debiti justitiæ. Argumenta vero quibus id probatur, solum ostendunt fieri non posse ut Deus ab alio obligetur sine fundamento consensus voluntatis ejus, et in vi promissionis ipsius; secus vero est in vi pacti et promissionis ejus. Nam hoc modo quicumque, quantumvis supremus dominus, etiam Deus ipse, obligari potest, vel ex fidelitate, vel ex justitia, juxta modum voluntatis, et promissionis ejus. Sic Cyprianus de viro mi-



sericorde ait : *Deum sibi computat debitorem*, sermon. de Eleemosyn.; et Augustinus, sermon. 18 de Verb. Apost. : *Debitor* (inquit) *nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo*, etc. Et infra : *Possumus exigere Dominum Deum nostrum : Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti, et hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti*. Sic etiam dixit Deo idem Augustinus, libro primo Confession., capite quarto : *Reddis debita, nulli debens*, utique ex te et sine voluntate tua. Sicque dixit Fulgentius, in Prologo librorum ad Monim. : *Sua largitate dignatus est se facere debitorem*. Unde optime dixit de præmio justorum Bernard., libr. de Grat. et liber. arbitr. : *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum*. Et sic etiam intelligendus est D. Thomas, dicta q. 111, art. 1, cum dicit Deum, cum debitor vocatur, non nobis, sed sibi, suæque dispositioni debitorem esse, est enim id verum, quantum ad radicem seu originem debiti; formaliter autem debitum illud ad eos terminatur, quibus solvendum est; et quando est debitum justitiæ, in eis habet aliquam proximam rationem et causam, ex Dei voluntate et promissione requisitam, scilicet, eorum meritum. Unde in hoc est magna differentia inter debitum promissionis simplicis, vel per modum conventionis æqualis sub conditione operum; nam prior inducit solum debitum fidelitatis, quia in solo actu Dei fundatur; posterior vero, impleta conditione, inducit justitiæ debitum, quia non tantum in veritate Dei, sed etiam in pacto mutuo : Facio, ut facias; vel : Faciam, si feceris, fundatur; servare autem æqualitatem in hujusmodi pactis, opus est justitiæ commutativæ, ut inter homines est manifestum, et, semotis imperfectionibus, proportionalem rationem in Deo habet, et 2 Esdræ 9, dicitur : *Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abraham, et invenisti cor ejus fidele coram te, et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Amorrhæi et Jebusæi, et implesti verba tua, quia justus es*.

40. *Ad primam impugnationem in n. 38. — Ad secundam. — Ad tertiam.* — Ad primam igitur impugnationem, respondeo hoc debitum in Deo non provenire ab aliqua lege extrinseca, vel imperante, sed ex integra rectitudine voluntatis divinæ, quæ naturaliter est determinata ad omne id quod honestum est. Sicut etiam debitum fidelitatis et veritatis est in Deo, non ex lege, sed ex natura. Quod autem hoc debitum legale vocetur, jam dictum

est supra non ita vocari, quia obligatio oritur ex lege, sed quia est perfecta obligatio, quam leges et jura custodiunt. Et quicquid sit de nominis impositione inter homines, necesse non est ut illa etymologia in significato formali nominis includatur. Ad secundam, negatur per hoc diminui divinum dominium, sicut non diminuitur per obligationem fidelitatis, vel sicut non diminuitur libertas Dei per immutabilitatem sui decreti. Ad hanc enim immutabilitatem pertinet hæc obligatio, nam quia promisit, et sic promisit, se ipsum negare non potest, et implendo promissum suam voluntatem maxime implet, et sua potestate utitur, prout vult. Unde potestatem integram retinet, non vult autem aliter ea uti, neque unquam volet, quia ita, et sub tali conditione, et ratione, ac honestate decrevit. Ad tertiam, dico repugnare quidem supremum et universalem dominum ab alio virtute ipsius obligari; non autem repugnare obligari in virtute suæ promissionis et pacti. Neque obligatur, quia bonis ejus aliquid accrescat per actionem alterius, sed quia per actionem illam voluntas ejus et conditio, quam in pacto suo posuit, expletur cum sufficienti proportionem et adæquationem ad præmium promissum. Et hoc satis est ad veram rationem justitiæ, quamvis, ut dixi, aliquid ex hac parte diminuatur jus creaturæ, et ideo hæc justitia ex eodem capite aliquid de rigore commutativæ remittat, et ad distributivam accedat, ut sic, et omni umbra imperfectionis careat, et omni ex parte perfectissima sit.

41. *Ultima objectio.* — Tandem instatur, quia patris ad filium, domini ad servum non potest esse vera justitiæ obligatio, præsertim commutativæ; Deus autem est supremus dominus, et pater hominis justis modo specialiori; ergo non potest illi ex vera justitia aliquid reddere. Consequentia cum minori nota sunt. Major est Aristotelis, 5 Ethic., c. 6, et D. Thomæ 2. 2, quæst. 57, art. 4, et ratione patet, tum quia vera et propria justitia est ad alterum; filius autem non est alter a Patre, quia est veluti pars ejus; nec servus est alter a Domino, quia totus est ejus; tum etiam quia quicquid habet filius aut servus, magis est patris aut domini quam suum; et quia debita in bonis computantur, quod debetur filio, aut servo, magis debetur patri aut domino quam illis, atque ita perinde esset patrem, aut dominum obligari filio aut servo, quod obligari sibi, quod quidem in obligatione justitiæ repugnat.

42. *Dissolvitur imprimis.* — *Ulterius dissolvitur.* — Respondeo imprimis argumentum ad summum probare non posse dominum aut patrem obligari a suis correlativis, ita ut ab ipsis obligatio incipiat, ut ita rem explicem, id est, ut filius non emancipatus (ita enim loquimur) dando, vel agendo aliquid in beneficium, servitium, vel obsequium patris, aut rerum suarum, illum ex justitia obliget : idemque est de servo. Non tamen probat quin ex voluntate patris possit intercedere obligatio ad filium, inchoante ipso pacto, seu promissionem sub conditione operis condigni, et idem est de servo : tale enim pactum ex natura rei (quidquid sit de dispositione humanarum legum) validum est, et ex illius complemento ex altera parte obligationem justitiæ in alteram induceret. Et ita sunt Aristoteles et D. Thomas intelligendi, et cessat objectio. Unde ad rationem respondetur, loquendo inter homines, quamvis pater et filius, dominus et servus, consideratione quadam humana seu civili reputentur ut unum, et ideo inter eos non intercedat rigorosa justitia humana, quæ communi modo accepta requirit æqualitatem et omnimodam distinctionem, nihilominus intercedere rigorosum debitum, circa quod altior quædam justitia versari potest, ad quod personarum distinctio sufficit, de quo vide Molin., tract. 1 de Justit., disput. 7. Adde insuper fieri optime posse ut, per pactum vel alium modum, ille respectus conjunctionis separetur, et vera justitia intercedat. Et consequenter in eo casu ex vi pacti debitum patris aut domini ita terminabitur ad alterum, filium aut servum, ut ad patrem, vel dominum non revertatur aut transeat. At vero respectu Dei, quamvis nec inæqualitas contrahentium, nec eorum conjunctio separabilis sit per contractum, vel alio modo, nihilominus ipsa personarum distinctio sufficit ut vera justitia, licet altioris et perfectioris rationis, intercedat. Quamvis enim justitia humana illam conditionem ad alterum in illo rigore postulet, ut in suo gradu plene constituatur, et in divina justitia sive Dei ad hominem, sive hominis ad Deum, cum illa proprietate non inveniatur, nihilominus, absolute loquendo, justitia divina et vera et perfectior est : ex parte quidem hominis, quia excellentius jus Deo servat, et per nobiliores actiones, et propter graviore titulos; propter quod etiam e contrario injuria, quam homo Deo irrogat, graviore ordinis est. Et ideo recte Molina jus inter homi-

nem et Deum, jus simpliciter vocavit, quod ego in dicta disp. de Justit., et tom. 1, in 3 p., disp. 4, late explicui. Hoc ergo jus cum naturarum, vel personarum distinctione sufficit, ut verum pactum possit inter Deum et hominem intercedere, et consequenter etiam vera justitia, licet altioris rationis quam humana sit. Neque illi obstat quod omnia, quæ habet homo, sint Dei, quia etiam sunt ipsius hominis, et Deus voluit se obligare ad communicandum homini talia bona, licet sua sint, et dominium illud a se non separet. Unde illa obligatio sub ea ratione, sicut et divina promissio, vel donatio, ut talis est, ad hominem tantum terminatur, licet in Dei gloriam redundet, quod nihil justitiæ derogat.

43. *Cui merito non ex propria justitia præmium detur, etiam promissum.* — Ex quibus omnibus tandem concludimus, si quæ sunt merita habentia Dei promissionem, ultra eorum valorem moralem, vel condignitatem, illis non deberi præmium ex propria justitia, sed alio modo. Id videre licet in prima gratia justificante et remittente peccatum, quæ contritioni promissa est, et nihilominus non ex justitia, sed ex fidelitate debetur; nec illud meritum est de condigno, ut infra videbimus. Et ratio est, quia ibi non servatur æqualitas quæ ad justitiam necessaria est; et ita manet illa promissio in vi simplicis promissionis, et ex sola fidelitate obligat. Sed de hoc puncto, quia meritum de congruo attingit, in sequentibus ex professo dicturi sumus.

## CAPUT XXXI.

UTRUM IN BEATITUDINE NOVUS GRADUS GRATIÆ AUT GLORIÆ SINE ULLO MERITO DE CONDIGNO ILLIS TRIBUATUR?

1. *Ratio dubii ab axioma Theologorum.* — *Non recte confirmatur dictum axioma ex Bulla Pontificum.* — Solum hoc dubium superest circa præmia de condigno tractandum, et conjungimus gratiam cum gloria, quia gloria essentialis non nisi servata proportionem cum gratia potest connaturali modo et secundum potentiam ordinariam augeri. Ratio autem dubitandi oritur ex quodam Theologorum axioma, quod Deus præmium ultra condignum, et pœnam citra condignum retribuit. Quod quidem quoad posteriorem partem tradidit Magister in 4, distinct. 46, et D. Thomas, 1 p., quæst. 21, art. 4, ad primum; in dicta vero distinct. 46 quarti, quæst. 2, art. 2,